



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

54. Utrum Confessarius in aliquo casu sine licentia pœnitentis possit loqui cum illo de peccatis auditis in confessione; videlicet confessor commisit aliquem defectum in absolvendo pœnitentem, ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)



Confessarium loqui cum ipso penitente de confessione & errore corrigendo absque prædicta licentia, in quo profectò minus bene docet, tum quia scandalo fortè erit penitenti, tum quia est contra doctrinam quam tradunt Doctores, qui omnes absolute dicunt post finitam confessionem non licere Confessario loqui cum penitente de rebus confessis, nisi de licentia expressa penitentis. Sicut enim finita confessione, si statim peccatum aliud confitendum penitenti occurrat, tenetur Confessor illud audire, & novam dare absolutionem, propterea quòd est nova confessio, & novum sacramentum, quia per primam absolutionem finitum fuit prius sacramentum; sic etiam in nostro casu expiravit auctoritas Confessarii, quam solum habebat ad loquendum de rebus confessis intra ipsam confessionem, unde ea finita, requiritur licentia expressa ipsius penitentis, ut sæpe diximus: nam si post perfectam confessionem liceret Confessori loqui cum penitente de rebus in confessione auditis sine eius licentia, profectò id, per se loquendo, esset valde onerosum penitenti, & rubore suffunderetur vehementer, pudoreque afficeretur, quod sine dubio redundaret in injuriam Sacramenti, ergo &c.

RESOL. LIV.

*Vtrum Confessarius in aliquo casu sine licentia penitentis possit loqui cum illo de peccatis auditis in confessione; videlicet Confessor commisit aliquem defectum in absolvendo penitentem, queritur, an possit illi manifestare extra confessionem, etiamsi penitens non dederit licentiam manifestandi?*

*Et notatur Sigillum confessionis non solum quotiescunque sine licentia penitentis Sacerdos extra confessionem agit cum penitente solum de peccatis commissis, & auditis in confessione, modo id tamen faciat studio promovendi penitentis salutem.* Ex part. 2. tit. 1. §. 5. & Misc. 1. Ref. 12.

§. 1. Doctores communiter negativè respondent. Ita Reginaldus in praxi, tom. 1. lib. 8. cap. 3. sect. 2. num. 30. Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 32. sect. 5. num. 3. Onuphrius de sigillo, sect. 4. q. 5. §. 2. sequitur secundo, qui citat Sotum, Toletum, Rodriguez, & novissimè docuit hanc sententiam noster Megalain 1. p. lib. 1. c. 16. n. 22. Grassius in decis. aur. p. 1. lib. 1. c. 2. n. 7. 3. Valentia tom. 4. disp. 7. q. 1. punct. 3. Bonacina de Sacram. disp. 5. q. 6. sect. 5. punct. 4. n. 8. & Franc. Sylvius in suis aures commen. in 3. part. D. Tom. in addit. q. 1. art. 4. fol. 63. & q. 8. art. 5. quest. 4. concl. 2. vbi ait: Qui aliquem errorem in Confessione commisit, non debet penitenti simpliciter extra confessionem dicere, ne arguatur sigilli fractor, sed ei si præsens sit, dicat: Vellem quòd adhuc semel venires ad me pro confessione, quia habeo vnum verbum tibi vile. Si acquiescit, officium suum tunc adimpleat. Si verò nolit, penitentiam agat Confessor sui errati, non enim potest, nisi de prævio penitentis consensu, aliquid extra confessionem manifestare. Hæc ille.

2. At his non obstantibus, non desunt Doctores, qui contrariam opinionem amplectuntur, hi sunt ex Dominicana familia, Nugnus in addit. ad 3. part. tom. 2. q. 1. art. 1. fol. mibi 346. col. 2. circa med. & ex Societate Iesu Filliuc. in quest. mor. so. 1. tr. 7. c. 1. q. 5. n. 32. vbi sic asserit: Si Confessor defectum aliquem commisset in confessione, ex quo esset obligatio denuò cum penitente colloquendi, debet primò significare illi voluntatem suam, & si consentiat, iam id fa-

cit de licentia ipsius: quòd si non consentiat, potest tamen colloqui, quia verè non loquitur extra confessionem, sed complet eam, quæ iam erat inchoata, & imperfecta & penitens est irrationabiliter inuitus. Hæc ille. \* Notandum est etiam Puteanum in 3. p. D. Th. p. 2. dub. ult. concl. 3. mosab. 2. docere sigillum confessionis non solum, quotiescunque sine licentia penitentis, Sacerdos extra confessionem agit cum penitente solo, de peccatis auditis in confessione, modò tamen id faciat studio promovendi penitentis salutem. Ita ille. Sed hæc opinio prorsus non est tenenda.

RESOL. LV.

*An si penitens non vult dare licentiam Confessario, ut ei aperiat defectum commissum in confessione, possit illum aperire?*

*Et notatur, si statim post finitam confessionem, & datam absolutionem, occurrat error emendandus, non posse Confessarium loqui cum ipso penitente, de confessione, & errore corrigendo absque prædicta licentia penitentis? Ex part. 3. tract. 4. Resol. 86. aliàs 87.*

§. 1. Affirmativè respondent aliqui, ut nos alibi notauimus, & novissimè ita etiam tenet Turrianus de penitent. quest. 11. art. 1. disp. 3. dub. 6. vbi sic asserit: Deinde Suarez, & alij docent, quòd si Confessor commisit aliquem defectum in confessione, & iudicat esse necessarium admonere penitentem, potest facultatem petere ab ipso penitente, ut de ea re cum ipso tractet. Quòd si nolit eam concedere, poterit nihilominus Confessarius manifestare penitenti id, quod iudicat necessarium ad rectè exercendum munus Confessoris. Ita ille.

2. Sed mihi summpere displicet, viros doctos hæc docuisse, & ideo hanc sententiam rectè Fagundez p. 2. lib. 6. cap. 4. num. 33. improbabilem putat, quia ex illa daretur casus, in quo absque licentia penitentis expressa loqui possit Confessarius cum ipso penitente de rebus sibi confessis, quòd est absurdum, & omnes Doctores negant; & aliter facere, erit exprobrare penitenti peccata confessis, & exorsam reddere confessionem, & injuriam facere Sacramento. Unde in casu proposito, quando Confessor commisit aliquem errorem in confessione, quia, v. g. absoluit non subditum, vel excommunicatum, vel à casu reservato, vel non iniunxit obligationem restitutionis, non potest, loqui cum penitente de supradicto errore, sed petat licentiam ab illo, & si negat, culpa quæ fuerat Confessarii, eo ipso in penitentem transfertur, & Confessarius liber ab omni obligatione manet. Vide Sylvium in addit. ad 3. part. q. 8. art. 5. quest. 8. concl. 2. & alios communiter.

3. Notandum est etiam ex supradictis contra Henriquez lib. 3. de peccat. cap. 2. num. 2. in fine, si statim post finitam confessionem, & datam absolutionem occurrat error emendandus, non posse Confessarium loqui cum ipso penitente de confessione, & errore corrigendo, absque prædicta licentia: scandalum enim foret penitenti, tum quia est contra doctrinam communem Doctorum, dicentium absolute post finitam confessionem, non licere Confessario loqui cum penitente de rebus confessis, nisi de licentia expressa penitentis: & ita contra Henriquez docet Fagundez vbi supra, quæ omnia sunt valde à Confessariis notanda quia hic casus passim in praxi solet accidere.

\* Sup. hoc notato infra in Ref. 56. prope finem, à vers. Unde ex his, & lege etiam doctrinam Ref. 58.

Alibi in Ref. præterita, & in Ref. seq. & vide supra ex tr. 7. doctrinam Ref. 44. & in Ref. 1. §. Sed hanc, ad medium, à v. notat autem,

Sup. hoc supra in Ref. 53. & in aliis vers. eius not.